

*sta non fosse compresa nella suddetta generale concessione. Che ut Deus.*

Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII ex speciali gratia Oratoris precibus inclinatus concessit praefatae Congregationi Altare privilegiatum quotidianum in perpetuum; quoad vero recitationem particularium officiorum ad formam Ordinarii PP. Doctrinae Christianae, et PP. Piorum Operariorum instet Orator apud Sac. Rituum Congregationem. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 15 Octobris 1764.

*J. De Comitibus Secret.*

CCLXIV.

TARVISIN.

Extant in Tarvisina Dioecesi Parochiales Ecclesiae quam plures in quibus canonice sunt erecta fidelium Sodalitia, quae gaudent Indulgentiis, omnibus privilegiis, praerogativis ac specialibus gratiis, quas Summi Pontifices alicui ex approbatis Archiconfraternitatibus olim concesserunt; iis etiam Parochialium Ecclesiarum Rectores, Vicaria quadam a Generalibus Regularis Ordinis Magistris, seu Praepositis, ac Ministris, cui ipsae pertinent Archiconfraternitates, tributa praesunt auctoritate. Quoniam vero Apostolicis Litteris datis anno 1762 tertio Nonas Septembris, et recenti anno proxime praeterito tertio kalendas Septembris data Constitutione Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII facultates impertiendi Romani Pontificis nomine Apostolicam Benedictionem Regularibus jam concessas Ordinibus praeservavit, Paulus Franciscus Justinianus Tarvisinus Episcopus Sac. Congregationi definiendum proponit. « *Num istjussmodi Parochialium Ecclesiarum Rectores, salvis tamen Apostolicis Mandatis, praesertimque Benedicti XIV Epistola Encychlica die 19 Maii 1748 possint statis anni diebus super populum Apostolicam Benedictionem effundere ea donati facultate, quae a Generalibus Regularium Ordinum Ministris una cum universitate privilegiorum*

*suorum in diplomate erectionis Sodalitii, aut alio quovis modo fuit ipsis communicata? »* Quaeritur igitur « *num maneat facultas nomine Pontificis populum benedicendi Concionatoribus, die postrema Quadragesimae, nec non aliis Sacerdotibus Regularium Ordinum pro spiritualibus Exercitiis, sive Missionibus? »*

Relatis per me infrascriptum Sanctissimo Domino Nostro PP. Clementi XIII supradictis dubiis ab Episcopo Tarvisino propositis, Idem Sanctissimus respondit « *Negative ad utrumque ad formam Constitutionis a Sanctitate Sua edita sub datum apud S. Mariam anno 1762 tertio Nonas Septembris.*

Datum ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die audientiae Sanctissimi 6 Novembris 1764.

N. ANTONELLUS PRAEF.

*S. Borgia Secret.*

CCLXV.

INSTITUTI URSULINARUM

Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII Indulgentiam Plenariam in perpetuum concessam sub datum 18 Septembris currentis anni in tribus diebus S. Ignatii, S. Agnetis et B. Angelae a Brixia earum Fundatricis pro Monialibus coeterisque in Monasteriis degentibus, tum Romae, tum in Galliis existentibus, ad omnia et singula alia Monasteria, seu Collegia ejusdem Instituti, tum in Italia, quam in Germania, et alibi hactenus erecta, et in posterum erigenda pariter pro Monialibus tantum, aliisque in praedictis Monasteriis seu Collegiis degentibus in perpetuum benigne extendit, dummodo in quolibet ex praefatis tribus diebus vere poenitentes, confessae et S. Communione refectae propriam Ecclesiam devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 25 Novembris 1764.

*S. Borgia Secret.*

CCLXVI.

CIVITATIS CASTELLAN.

*La Confraternita del Rosario della Terra di Vallerano Diocesi di Civita Castellana anticamente eretta e già aggregata all' Archiconfraternita di Roma espone, che fra le altre grazie e indulgenze concesse a tali Confraternite nel Sommario inserto nella Bolla d' Innocenzo XI dei 3 Luglio 1679 confermata anche da Benedetto XIII colla Bolla Pretiosus 7 Giugno 1727 vi è l' Indulto dell' Altare Privilegiato prima concesso da Gregorio XIII all' Altare esistente nel Convento de' Domenicani di Raconisio ristretto ad essi soli, e poi esteso a tutte le Cappelle erette e da erigersi come in detta Bolla d' Innocenzo XI; sicchè tra le Indulgenze comuni così si legge in detto Sommario al cap. 12 « Indulgentiae pro Defunctis ». Gregorius XIII in Bulla quae incipit « Omnium Saluti » 30 Octobris 1582, concedit Ecclesiae Praedicatorum Loci Raconisii, ubi est Altare Sanctissimi Rosarii, quod non est Altare majus, Indultum Altaris privilegiati quoties ab aliquo dictae Domus Sacerdote dumtaxat, Missa Defunctorum celebrabitur pro animabus cujuscumque Fidelis Defuncti Confratris Sanctissimi Rosarii. « Crede adunque l' Oratrice, che il suo Altare goda di questo Indulto, perchè lo vede reso comune a tutte le Confraternite in detta Bolla e Sommario, senza alcuna comunicazione e però fa ivi dire le Messe. Dubitandosi però stante il decreto che l' Indulto non sia comunicabile, supplica perchè si dichiari*

1.º *Se l' Altare del Rosario in virtù di detto Sommario e Bolla goda l' Indulto di Altare privilegiato per i Confratri defonti ?*

2.º *Se essendo impedita la celebrazione della Messa di Requie, anche la Messa del Santo corrente goda lo stesso Indulto secondo la dichiarazione della s. m. di Clemente IX, 23 Settembre 1669 ?*

3.º *Se abbia luogo in ogni Sacerdote che celebra in detto Altare ?*

Relatis a me infrascripto supradictis dubiis, Sanctitas Sua respondendum esse censuit.

Ad 1.<sup>m</sup> Negative; etenim in Communicatione Indulgentiarum nusquam communicatur privilegium Altaris, quod non nisi specialiter et individua mentione concessum in Brevibus reperitur; tum quia recensitum privilegium Altaris Sanctissimi Rosarii a fel. rec. Gregorio XIII concessum ac deinde a S. M. Benedicto XIII ad quaecumque Altaria Rosarii extensum tantummodo privilegium personale est; nimirum solis dumtaxat Sacerdotibus Regularibus Ordinis Praedicatorum.

Ad 2.<sup>m</sup> Affirmative ex Decretis Sac. Rituum Congregationis atque hujus Sac. Congregationis Indulgentiarum.

Ad 3.<sup>m</sup> Negative eadem ratione, quod privilegium restrictum sit ad solos Sacerdotes Ordinis Praedicatorum.

Cum autem Sanctitas Sua inspexerit Missas ad praefatum Rosarii Altare uti privilegiatum bona fide hactenus celebratas fuisse, benigne annuit pro earum sanatione; ac insuper declaravit supradictum Sanctissimi Rosarii Altare privilegiatum ad Septennium in una Feria cujuslibet hebdomadae ab Ordinario designanda pro Confratribus et Consororibus.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 27 Novembris 1764.

*S. Borgia Secret.*

CCLXVII.

WLADISLAVIEN.

*Philippus Gotthardus Episcopus Wladislaviensis exponit, se obtinuisse a Sanctitate Vestra Breve Altaris privilegiati quotidiani ad Septennium pro omnibus et singulis Ecclesiis Parochialibus, nec non Collegiatis et Abbatialibus suae Civitatis et Dioeceseos, revocando intuitu hujusmodi Indulti privilegia omnia Paroeciis sive in perpetuum sive ad tempus concessa; itaque quum Oratori suborta sint tria dubia, scilicet;*

1.<sup>m</sup> *An Indulgentiae Altaris privilegiati adnecti possint Altaribus portatilibus, quae plurima sunt in ea Dioecesi ?*

2.<sup>m</sup> *Quum in ea Dioecesi ob tenuitatem Beneficiorum pleraque Parochiales unitae sint, an idem privilegium intelligatur concessum omnibus et singulis, sive iis tantum, in quibus aliqua parochialia munia aliquando fiant per annum, licet cum coeteris majoribus sint coactae?*

3.<sup>m</sup> *An Missis de Festo vel de Feria lectis, diebus in quibus Missae Defunctorum prohibentur, applicari possit idem Altaris privilegium ad formam Decretorum a Rituum Congregatione emanatorum de anno 1667, 1669 et 1688?*

*Supplicat ut dignetur respondere super quolibet distincte et enucleate pro quiete suae conscientiae, et bono ejusdem Dioecesis Regimine.*

Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII relatis a me infrascripto supradictis dubiis ab Episcopo Wladislaviensi propositis respondendum esse jussit.

Ad 1.<sup>m</sup> Negative; namque ex ipsis terminis concessionis qua tribuitur Ordinario facultas designandi semel unum tantum Altare, satis innuitur quod dictum Altare debeat esse fixum ac stabile; nec non quum in casu reapertionis Altaris privilegiati soleat peti translatio privilegii ad aliud Altare, conceditur dicta translatio durante tantum tempore Fabricae, ex quo colligitur privilegium in eodem Altari stabile permanere.

Ad 2.<sup>m</sup> Eadem Sanctitas Sua declaravit privilegium Altaris quotidiani ad septennium illis tantummodo Ecclesiis per extensionem concedendum esse, quae Parochiali unitae, seu ejusdem subsidiariae plerasque parochiales functiones ( quae proprie parochiales sint ) infra annum exercent.

Ad 3.<sup>m</sup> Affirmative ex Decretis tum Sac. Rituum Congregationis, tum hujus Sac. Congregationis Indulgentiarum.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 27 Novembris 1764.

*S. Borgia Secret.*

CCLXVIII.

ORDINIS FF. EREMITARUM DISCALCEATORUM S. AUGUSTINI

Ad humillimas preces Fr. Fabii ab Annuntiatione B. M. Virginis Eremitarum Discalceatorum S. Augustini Procuratoris Generalis Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII benigne concessit Religiosis praefati Ordinis tam Clericis quam Laicis quibus onus incumbit pro animabus Defunctorum ejusdem Ordinis quasdam S. Communionibus peragendi, Indulgentiam Plenariam in iisdem Communionibus, quae per modum suffragii praedictis Defunctis applicari valeat. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 8 Januarii 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

*S. Borgia Secret.*

CCLXIX.

INSTITUTI URSULINARUM

Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII ex speciali gratia Indulgentiam Plenariam in perpetuum concessam die vigesima prima Martii ( pro festo B. Angelae Merici a Brixia ) in Ecclesiis Monasteriorum Monialium Ursularum ubicumque locorum existentibus, seu Ecclesiis Collegiorum ejusdem Instituti hactenus erectorum et in posterum erigendorum pro Monialibus tantum, aliisque in praedictis Monasteriis seu Collegiis degentibus benigne extendit ad Puellas, quae ab iisdem Monialibus in scholis intra earum claustra edocentur. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari in perpetuum absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 22 Januarii 1765.

*S. Borgia Secret.*

CCLXX.

ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI

Cum alias fel. rec. Benedictus PP. XIV concesserit privilegium quotidianum Altari sub invocatione S. Ubaldi erecto, seu erigendo in omnibus et singulis Ecclesiis Ordinis Canonorum Regularium S. Augustini Congregationis Lateranensis, nec non Monialium Ordinis et Congregationis hujusmodi sub gubernio et jurisdictione Canonorum Regularium praefatorum existentium; quumque modo compertum sit in quibusdam praedictarum Monialium Ecclesiis praefatum S. Ubaldi Altare non existere, seu non in Ara majori Ecclesiae praedicti Sancti Sacram Imaginem collocatam esse, in qua plaequa Missae celebrantur; idcirco Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII ad humillimas preces Caroli Corio Moderni Procuratoris Generalis ejusdem Congregationis benigne inclinatus concessit, ut in praefatis Monialium Ecclesiis, ubi S. Ubaldi Altare adhuc erectum non reperitur, Privilegium quotidianum in Altare Majori Ecclesiae ab Abbate Generali ejusdem Congregationis semel tantum designari possit. In iis vero Monialium Ecclesiis, ubi praefatum S. Ubaldi Altare erectum reperitur, in eo privilegium jam concessum permaneat; nec ad aliud ejusdem Ecclesiae Altare transferri queat. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 12 Martii 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

*S. Borgia Secret.*

CCLXXI.

CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM THEATINORUM

Ad humillimas preces Procuratoris Generalis Clericorum Regularium Theatinorum, Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere poeni-

tentibus, confessis et S. Communione reffectis, qui aliquam Ecclesiam praefatae Congregationis die decimatertia Decembris a primis vespers usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint, Indulgentiam Plenariam benigne concessit. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 30 Aprilis 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

*S. Borgia Secret.*

CCLXXII.

ORDINIS FF. B. M. VIRGINIS DE MONTE CARMELO.

Ad humillimas preces Fr. Josephi Alberti Ximenez Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis et S. Communione reffectis, qui Expositioni Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti de Ordinariis respective Locorum licentia in qualibet ex Ecclesiis FF. praedicti Ordinis ubicumque existentibus in novem feriis quartis immediate antecedentibus festum S. Josephi singulis annis faciendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Indulgentiam Plenariam in una ex praedictis novem Feriis quartis per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligenda lucrificandam benigne concessit; ac insuper omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contriti ut supra interfuerint, et oraverint in reliquis octo Feriis; qua die praefatarum id egerint Indulgentiam centum dierum clementer elargitus est. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis

expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 21 Maii 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

*S. Borgia Secret.*

CCLXXIII.

URBIS

Sanctissimus ex speciali gratia concessit Privilegium quotidianum perpetuum omnibus Altaribus Ecclesiae Archiconfraternitatis B. Mariae Orationis et Mortis de Urbe. Idemque privilegium concessit Altari in Oratorio, et Altari in Coemeterio ejusdem Archiconfraternitatis existen. cum revocatione cujuscumque Brevis jam obtenti. Die 21 Maii 1765.

*S. Borgia Secret.*

CCLXXIV.

ORDINIS FF. B. M. V. DE MONTE CARMELO

Ad humillimas preces Fr. Josephi Alberti Ximenez Procuratoris Generalis Ordinis FFr. B. M. V. de Monte Carmelo, Sanctissimus D. N. Clemens PP. XIII Indulgentiam Plenariam in perpetuum jam concessam pro omnibus Christifidelibus visitantibus aliquam Ecclesiam praefati Ordinis in festo S. Josephi ad totam Octavam ejusdem festi semel tantum per unumquemque Christifidelem lucrificandam benigne extendit pro Ecclesiis solummodo in Provinciis Hispaniarum existentibus nempe utriusque Castellae Cathaloniae, Aragoniae, et Bethicae. Servato in reliquis tenore assertae primae concessionis. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 4 Junii 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

*S. Borgia Secret.*

CCLXXV.

CONGREGATIONIS MISSIONIS

Ad humillimas preces Antonii Jacquier Congregationis Missionis Superioris Generalis Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII benigne inclinatus concessit ut tres Missae, quae juxta Constitutiones in obitu alicujus ejusdem Congregationis a quocumque ipsius Congregationis Sacerdote in eadem Domo, ubi e vita defunctus cessit, commorante, in suffragium ejus animae celebrantur privilegio gaudeant ac si in Altari privilegiato celebrarentur; idem privilegium concessit pro una Missa ab aliis praedictae Congregationis Sacerdotibus in quacumque domo degentibus ad eundem finem celebranda; insuper concessit, ut quilibet sive Clericus, sive Frater Coadjutor in Domo Demortui commorans qui ter ad S. Eucharisticam Mensam in suffragium animae defuncti accesserit; quemadmodum alii Clerici et Fratres Coadjutores in quacumque Congregationis Domo degentes, et semel Communionem pro Defuncti anima applicantes, Plenariam Indulgentiam in ejusdem suffragium consequantur. Voluitque Sanctitas Sua utramque gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgent. die 20 Junii 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

*S. Borgia Sac. Congreg. Indulg. Secret.*

CCLXXVI.

MECHOACAN. IN INDIIS

Cum sicut humillime exponebatur in Civitate Vallisoletana Mechoacan. Dioecesis in Indiis quaedam pia Unio Presbyterorum compacta ex Decano et Capitulo Cathedralis Ecclesiae dictae Civitatis nec non Religionis Ordinum Min. Obser. S. Francisci, Augustinianorum Discalceatorum, B. M. Virginis de Mercede, ac de Monte Carmelo quinque Provinciarum dictae Dioecesis reperiatur erecta. Sub hoc statuto quod praedictae Unionis Sa-

cerdotes, sive Saeculares, sive Regulares pro ipsorum quolibet e vita deceden. tres Missas celebrare debeant. Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII dummodo de asserto onere coram Ordinario constiterit clementer indulset, ut praedictae tres Missae, quae pro animabus ipsorum Presbyterorum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint ad quodlibet Altare cujuscumque Ecclesiae celebrabuntur, animabus hujusmodi pro quibus celebratae fuerint perinde suffragentur ac si ad Altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 16 Julii 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

*S. Borgia Secret.*

CCLXXVII.

URBIS ET ORBIS

Cum alias San. Me. Benedictus XIV ad frequentes Episcoporum Pontificiae Ditionis quaerelas gravioribus abusibus, qui Bacchanalium tempore irrepserant, opportuno remedio occurrere concupiverint, perspexeritque in aliquibus Ecclesiis salutari consilio institutam esse Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti Expositionem per tres dies sive in Hebdomada Septuagesimae, sive in altera Sexagesimae, aut Quinquagesimae ante diem Cinerum, ad hoc praecipue, ne Fideles tempore tentationis a via Domini recederent, et in praedictis Ecclesiis pie orantes Divina impetrarent auxilia, universis utriusque sexus Christifidelibus confessis, et Sacra Communionem reffectis, qui easdem Ecclesias, in quibus Venerabilis Expositio sive in uno, sive in singulis praedictis Triduis fieret, devote visitarent, Indulgentiam Plenariam misericorditer concessit et indulset; Hinc Sanctissimus Dominus Noster Clemens Divina Providentia PP. XIII sedulo recogitans praefatam Augustissimi Sacramenti Expositionem plurimum hisce diebus profuisse, ac deinceps fore profuturam, eandem Plena-

riam Indulgentiam ad quascumque Catholici Orbis Ecclesias ubicumque locorum existentes, ubi Venerabilis Expositio sive in Hebdomada Septuagesimae, sive Sexagesimae, aut Quinquagesimae, sive in singulis praedictis Hebdomadis per tres dies, atque etiam si tantummodo in Feria V infra Hebdomadam Sexagesimae peragatur, ex uberi Pontificiae charitatis fonte benignissime extendit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulg. die 23 Julii 1765.

N. CARD. ANTONELLUS PRAEF.

*S. Borgia Sac. Congr. Indulg. Secret.*

CCLXXVIII.

ORDINIS S. BENEDICTI

Ad humillimas preces Moderni Abbatis Praesidis Congregationis Bursfeldensis Ordinis S. Benedicti in Germania existentes in Monasterio Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli de Erfreut Sanctissimus Dominus Noster Clemens XIII Privilegium quotidianum a san. mem. Benedicto XIV Altari sub invocatione S. Benedicti erecto, sive erigendo in omnibus et singulis Ecclesiis Monasteriorum Monachorum praefatae Congregationis Bursfeldensis clementer extendit. Itemque aliud privilegium ab eodem Benedicto elargitum ut omnes et singulae Missae, quae pro Anima cujuscumque Monachi, Presbyteri, Clerici et Laici praefati Ordinis et Congregationis juxta ipsorum Constitutiones in eorum obitu, vel alia die ad quodcumque Altare Ecclesiarum praedictae Congregationis pro illorum anima, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabuntur, animae hujusmodi pro qua celebratae fuerint perinde suffragentur, ac si ad Altare privilegiatum celebratae fuissent; Eadem Sanctitas Sua pariformiter benigne extendit ad quascumque Moniales, coetrasque degentes in Monasteriis praedictae Congregationis Bursfeldensis, ita ut omnes et singulae Missae quae pro anima cujuscumque Monialis aliarumque in earum Monasteriis degentium juxta ipsarum Constitutiones in earum obitu, vel alia die ad quodcumque Altare Ecclesiarum Monialium dictae Congregationis